



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

54. Liberivs in discursu insinuat, fornicationem ex natura sua & intrinsecè non esse malam; quod longè falsissimum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

constaret, huiusmodi librorum Authoribus præcipuum fuisse institutum, Romanam Ecclesiam, Clericorum & Monachorum statum traducere; id quod intendunt Authores illorum librorum, quos apud se retinet, legitque Leuinius. Vnde etiam in Germania legi non posse Ioannem Auentinum, Ioannem Schleidanum, & Sebastianum Münsterum, vult ipse Layman *loc. cit.*

LIV. *Liberius in discursu & colloquio de varijs sententijs insinuat, fornicationem non esse intrinsecè malam, sed ideò solùm, quod DEVS eam prohibuerit, quam opinionem vehementer obstupescunt alijs, & in varijs dein occasionibus eius meminerunt, vt aliorum de eadem iudicium audiant. Queritur. Quid de illa sentiendum?*

Videtur opinio hæc probabilis esse. Tum quia eam expressè docet Caramuel *in Theolog. Moral. l. 3. n. 1600.* Tum quia DEVS Osee, 1. tanquam supremus Dominus dispensauit cū Propheta circa fornicationem, vt explicat S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. Tum quia melius est proli, sic esse, quàm non esse.

Resp. Hanc opinionem (quod fornicatio non sit intrinsecè mala, sed ex sola prohibitionē positiuâ) esse longè falsissimam, nihilque penitissimè habere probabilitatis. Ita vniuersa Theologorum schola, vt videre est passim. Prob. 1. ex Sac. Script. Cor. 6. Eph. 5. Gal. 5. Vbi ab Apostolo fornicatio, tanquam res ex
L 1 2 se

se turpis & inhonesta præcipitur vitanda, comparaturque idololatriæ, furto, & homicidio, quæ secundum omnes per se & intrinsecè mala sunt. Prob. 2. Ut proles rectius educaretur, à natura institutum est vinculum conjugij, quo parentes mutuo & inseparabiliter astricti illius educationi & institutioni aptius attenderent. Ergo ommissio huius ordinis ex instituto naturæ ad prolis complementum necessarij est deordinatio grauis & intrinsecè mala. Tum quia concubitus vagus, seu fornicatio ex se est contra bonum humani generis; si enim licita foret, passim proles negligeretur, ex quo non posset nisi summa confusio, perturbatio, & ignorantia in humano genere sequi. Ergo ex se & intrinsecè est graue malum, etiamsi nullo alio posituo præcepto prohiberetur.

Ad 1. in Contrarium dicimus, opinionem aliquam non eo ipso statim esse Probabilem, quod ab vno Authore imprimatur, sed insuper opus esse, vt firmâ aliqua, & hætenus alijs vel non cognitâ, vel non satis perceptâ ratione roboretur, & non communiter ab alijs Doctoribus explodatur, vt rectè Marchantius in *Tribun. Sacrament. Tr. 5. tit. 5. q. 5.* Cùm ergo præsens opinio nullâ simili ratione stabiliat, & ab omnibus Doctoribus vnanimiter reiiciatur, tantum abest, vt à solo Authore suo aliquam probabilitatem mereatur, vt potius ipse

ipse Caramuel ab hâc & similibus novis opinionib. malè audiat, grauitèq; à nonnullis censeatur. *Ad 2.* Negamus, Deū propriè dispēsasse cum Osea, sed mandando effecit, vt mulier, quæ prius fuerat fornicaria, post Prophetæ cōsensū foret vxor istius, vt ex Richardo rectè Dicastillo *L. 1. de virt. Cardin. D. 3. n. 247.* *Ad 3.* Dicimus cum Lessio *L. 4. c. 3.* Quamuis melius sit proli, sic esse, quàm non esse, si tamen parentes velint operam dare generationi, debent id ita facere, vt opus habeat convenientem ordinem ad prolem tum suscipiendam, tum educandam; quod si hoc ordine careat, priuant, quantum est ex vi actûs, prolem hoc bono, siquidem istud ex tali actu non est natum sequi, sed contrarium.

LV. Leutfridus ambit nuptias se dignas cū Iulia nobili Virgine, sed Pater obtrudit ei Iulianam paris nobilitatis puellam, grauitè minitans, nī pareat: ille tamen neglectis minis, & Consensu Patris contrahit cum Iulia. Queritur. An Leutfridus peccet mortaliter contrahendo cum Iulia contra voluntatem & consensum Patris?

Videtur sic peccare. Ita Guttierrez, Petrus Barbosa, Veracruz, & alij, quos refert & sequitur Facundez *L. 4. in Decalog. c. 4. n. 4.* Quia in re graui & iusta non obedit Patri, & offendit eum absque iusta causa.

Resp. Leutfridum non peccare mortaliter in eundo cum Iulia dignum se matrimonium.

Ll 3

Ita